

1403 res Venetas fieret impetus; nullus erat locus, quem non infestum illi redderent, nec tamen manum conferere, quia non aperte hostis, nec ut amicus aderat. Sic pari dissimulatione Venetus Ligurem, Ligur Venetum sollicitum habere. Ubi vero non procul Methone uterque constitit, apparebatque aliud quæri, quam quod ab initio ferebatur: ne in apertum aliquod discrimen patientia sua res Veneta adduceretur, ad Ligusticam classem, quæ inter Methonem & Juncum aquationis specie concesserat, continuo Zenus ire pergit. Sub inopinatum Caroli accessum acre prælium est commissum: eratque Venetis eo deterior conditio, quo plures Ligusticæ triremes propugnatores quam Venetæ habebant. Ferunt præter legitimas turmas, singulas naves quadraginta bellatores habuisse, ac omnes fere Gallici nominis, qui lanceis gladiisque (ut mos est gentis) pugnam ferociter ciebant. Et jam ægre Venetus hostem sustinebat, quum Hermolaus Lombardus ex longinqua negotiatione duabus triremibus rediens, opportune affuit. Conspicatus is in quanto discrimine res Veneta esset, in hostem pugna occupatum, quam maximo potest impetu proram detorquet, ac tam infesto ictu Ligusticam percussit, ut cum tota turma bellatoribusque in ea pugnantibus subverterit. Cum Hermolai accessu subito fortuna mutata est. Nam & hostis, qui pene victor erat, ad cladem unius animum remisit; contra Venetus duarum navium numero auctus, pugnam ferocius instaurat, ac de novo exæquata pugna, quatuor horis dubio Marte pugnatum est: demum tribus hostium navibus merfis, ac totidem captis, reliquæ triremes, quæ quinque numero fuere, fuga abierunt. Quingenti hostes & amplius partim ferro partim undis periisse dicuntur, octingenti capti. Nec Veneto victoria incruenta fuit: quippe qui post pugnam ad centum quadraginta tres ex omni numero sibi deesse sensit. Ferunt, post victoriam quosdam triremium præfectos ignominia notatos, quia segniter in hostem primo congressu movissent, suæque defidia Rempublicam in discrimen maximum adduxissent. Alij, in quibus fuit Egidius

*Ligur ad
Methonem
victus.*